

1789

CASUISTICI.

1790

bunc mundum processi. Illi dixerunt. *Vbi est regio tua?* R. *Ubi uxorem ibi etiam habeo regionem.* Atque ita longum de variis materiis physicis, moralibus, etiam biblicis plerumque per aenigmata examen ingrediuntur. Legas hic primum Subdiaconum *Lupum*, primum Lectorem *Abraham*, primum Hostiarium *Trouulfum*, tres Magos *Patifarfa*, *Melchio*, *Casper*, duos Latrones cum Christo cruci adfixos *Jonatham* et *Gamatram* &c. Si *Epiceticus* noster, quod suspicor, ex *Epiceteto* fictus est, quantum ille differt a claudo *Epa-phrodit* Servulo!

*Hic lapidum varius color est et mystica uirtus.
Quid loca significant versus quid in ordine signent.
Floridus est iaspis equidem uiridisque coloris.
Iste fidem signat quam gratia pingit et ornat.
Est habitu crasso nimium similisque smaragdo.
Dicitur sic a se fantasmata pellere longe. &c.*

et finis:

Agmen et angelicum lapis indicat ultimus horum.

Per decursum citatur *Arator* Sec. VI. Poeta. Autorem ignoro; neque enim *Marbodus* ille *Gallus* est, cujus Editionem principem recensui ad an. 1511. in *Hist. Typogr. Vien.* P. I. p. 55. neque Autor *Lapidarii* omni voluntate referti, quod ibid. p. 311. indicavi.

DCCXLIII.

R. 3330 Codex membraneus lat. Sec. XIII. XIV. et XV. Folior. 115.

A 3

X. fol. 65. p. 2. Brevis XII. *Lapidum Apocalypticorum* Descriptio cum allegorico eorundem Significatu, e quodam in *Apocalypsin* Commentario, ut videtur, excerpta, quae incipit: *Iaspis qui primus ponitur in ordine lapidum. coloris uiridis est. et significat uiriditatem fidei. que uiridis est. quia emittit flores bonorum operum.* &c.

XI. fol. 67. Eadem materia tractata metro, Hexametris videlicet CXVI. quorum initium:

4. plurimum lineis longis exaratus, rubroque distinctus, eleganti manu Sec. XIII. primum inscribitur: *Incipit tractatus Magistri Johannis de deo decretorum doctoris de penitentia.* Ita: *Uenerabili patri ac domino A. diuina prouidentia Ville (non urbis) Bonon. episcopo — &c. Ea est regula ueritatis a patribus approbata &c. Tò A. librariorum est; nullus enim Bononiae Episcopus circa a. 1247. quo scripsit Johannes noster Ulyssiponensis, nomen ducit*

ab

ab hac litera. *Poenitentiale* istud VII. *Libris* constans, de quo plura *Caveus*, *Oudinus*, *Fabricius*, qua ratione ad typos nunquam e-

luctatum sit, miror. Priores duos versus e calce *Libri VII.* a *Fabricio* male citatos sic e Codice restituo:

*En ego, quem genuit pia patria Portugalsis,
Diva cathedravit urbis schola Bononiensis.*

Noto praeterea, post *Librum VII.* nobis adjici Articulum prolixum, de quo tacent Scriptores memorati, hac *ἐπιγραφή*: *De his, que abusive fiunt a quibusdam.* Recitantur autem Abusus XXXII. praecipue contra ecclesiasticam disciplinam oppositis ubique legibus canonicis; atque ut ne dubites, hanc quoque mantissam *Noftri* esse, concluduntur: *Quare ego Johannes de Deo servus sanctitatis uestre — humiliter supplico &c.*

II. *fol. 30.* Constitutiones pro Clero extractae e Statutis provincialibus *Salczburgen.* mandato Archiepiscopi *Eberhardi* (III.) per *Fridericum deys* decret. Doct. Decanum *Padeburn.* Officiale Curiae et in Spiritualibus Vicarium gen. Cum in iis ad Decreta Legatorum *Cardd. Guidonis* et *Johannis* provocetur, ad *Eberhardum II.* pertinere nequeunt, cenfeoque anno 1420. quo Concilium *Salisburg.* XXXV. actum est, posteriores. Sunt vero numero XIV. ad Cleri mores, ecclesiasticam Disciplinam et Vitia Coercenda spectantes.

III. *fol. 34.* Acta ad Visitacionem Coenobiörum post Synodum *Constantiensem* pertinentia, et 1) Relatio Visitatorum, qui rogante

Thoma Abbate *Scotorum Vienne* ab *Alberto Duce Austriae* constituti rationem hic reddunt eorum, quae huic Coenobio deinceps observanda praescripserint. Erant vero illi: *Leonardus* Prior Domus Throni B. V. M. in *Gemniko* (vulgo *Gäming*) *Karthusien.* ord. Mag. *Bartholomaeus de Ebraco* S. Theol. Prof. FF. *Nicolaus* quondam *Jacobi de Respitz* et *Antonius de Catalonia* Professi Monasterii *Sublacensis* et Specus S. *Benedicti*, FF. *Thomas* et *Nicolaus* Cantor Professi S. *Crucis* Ord. Cist. item *Johannes Fluck* S. Theol. et *Caspar Meiselfstein* Decret. Doctör. Visitatio haec ad a. 1418. pertinere censenda est; quam parum vero profuerit Monachis gente *Scotis* omnis disciplinae impatientibus, et Abbate *Thoma* claves resignante, discimus e *Joh. Raschii* Libello vernaculo: *Stiftung vnd Prelaten — zu den Schotten &c.* a. 1586. 4. impresse. Unde permotus Dux *Albertus* Coenobium *Germanis* tradidit imposito Abbate supra dicto *Nicolao de Respitz*, seu *Röschitz* infer. *Austriae* oppido, sub quo refluuit observantia legum Ordinis. 2) Juramenta Visitatorum, Modus suscipiendi Visitatores, et Interrogatoria super singulis

1793

C A S U I T S I C I.

1794

lis defectibus Monasterii ad mentem Concilii *Constant.* 3) *Modus visitacionis in Gotwico.* Visitatores erant *Angelus* Abb. de *Reyna* seu *Runa* O. Cist. in *Styria*, *Leonardus* jam memoratus Prior *Gemnicenf.* Marscalcus Ducis *Alberti*, duo FF. de *Sublacu*, *Math.* nescio quis *Rörer*, et tres Doctores videlicet Acad. *Viennensis.* Describuntur minutim ingressus, confessus, utrinque proposita, recitantur Bulla *Martini* Pont. et Ducis ad Abbatem Literae, quibus lectis fiebat sermo per *Reuerendum Doctorem Magistrum Nicolaum de Dinkelspühl*, in quo confutabat errores et negligentias nostras, et, quod deterius est, dixit nos esse de genere *Sarabaitarum* (Vide *Du Cangii Glossarium* h. v.) quod genus pessimum est *Monachorum* &c. nec minori candore referuntur ea, quae Visitator Abbas praesentibus exprobravit. Accedunt *Servanda Gottvicensibus* imposita, et gratiarum Actio Abbatis loci, qua tamen et varia excusat, et conqueritur inauditum seculares visitare religiosos, et celerem reformationem deprecatur.

IV. fol. 47. *Sermones IX.* in varia Evangeliorum et Epistolarum Loca, quos edifferere operae pretium non est.

V. fol. 71. *Vita S. Wolfgangi* Ep. *Ratisbon.* cum Prologo *Compileris Othloni*, seu *Odilonis Monachi S. Emmerammi*, de qua jam alio hujus *Vol.* loco dixi, ut *Index* docet.

VI. fol. 84. p. 2. *Incipit vita venerabilis patris Brandani in nomine domini.* Per decursum etiam *Brendanus* audit. Initium: *Sanctus Brendanus filius finlocha nepos Albi de genere cogem staugnilem regionis mumenensium ortus fuit. Erat enim vir magne abstinentie, et virtutibus clarus, trium milium fere pater monachorum &c.* In *Bollandistarum* scriniis duplex erat hujus S. Abbatis *Vita ms.* sed utramque ab Opere suo refecerunt ob portentosas fabulas, quibus cum nostra praesens pariter scaeat, alterutram earum esse credimus. Vide, si lubet, illos ad diem XVI. T. III. *Maji* p. 599. Interim differt nostra ab ea, quam titulo vernaculo: *Sant Brandons Buch, was er wunders erfahren hat*, jam *Seculum XV.* typis excudit, et fortasse novum *Seculum* repraesentabit. Ita, dum una ex parte *Intellectus* humani imperium ultra omnes metas proferre nitimur, ex altera ad putidas *Anicularum* fabellas prurimus.

VII. fol. 102. *Urbanus episcopus seruus seruorum dei significamus tam presentibus quam futuris. Quod orationum presentium suffragia dicens est penitus supportatus a canonicis horis urgente necessitate, insuper centum et quadraginta dies vere indulgentie dicenti has horas non fictas sed per spiritum sanctum nobis transmissas misericorditer relaxamus. Ut nihil in Orationibus per horas canonicas distributis, quae sequuntur, carpas, displicet adpensā hederā. Quis enim ille Urbanorum?*

VI.

1795

C O D I C E S

1796

VIII. fol. 107. p. 2. *Incipit oratio de sancto brandano, quam quicumque cantauerit ducenties, valet contra centum psalteria et centum oblationes. Et qui cantauerit una vice, valet contra VII. psalteria et VII. oblationes. Et si quis cantauerit super altare, multum valet apud deum et redimet animam suam de inferno.* Mirum, quod haec non pariter oraculo pontificio commendetur. Ceterum, quidquid etiam hic Precum sequitur, sanum est, atque inter eas jam legitur Affectus ille: *Anima Christi sanctifica me &c.* quem non pauci recentiorum dixissent.

DCCXLIV.

U. 701 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 332. f. magnifice exaratus, columna media Textum, marginibus Glossas exhibentibus, fronte picturata Autoris Iconem sistens, coloribusque distinctus inscribitur: *Incipit summa de penitentia a magistro raymundo composita.* Est is Gregorii IX. Tribonianus dictus de *Pennaforti* O. P. mortuus a. 1275. et inter Divos relatus. Produxi jam Opus istud *Vol. I. P. 3. col. 2505.* et hoc *Vol. Summam de Poenitentia et Matrimonio* IV. Libris constantem vulgo compellant Literatores, sed in Codice hoc sane vetusto post Libros III. de *Poenitentia*, qui finiunt: *Venite benedicti percipite regnum. Amen.* novo titulo, novoque Capitulo Elencho: *Incipit summa de matrimonio a magistro Raimundo composita.* Qua-

re duae potius distinctae *Summae* habendae sunt, id, quod nec mihi prius, nec in Editione *Rom.* 1603. f. quae mihi adjacet, observatum fuit. Ad calcem Librarius literis picturatis et mire crispatis signavit: *Qui scripsit hunc Librum pergat in Paradisum, cui Deus Electorum palmam tribuat in ibi eorum.* De Glossarum Autore jam dixi *l. supracit.* hic vero moneo, in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 106. ad marginem annum mortis *Raymundi* errore typi depravatum esse in 1238.

DCCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2223 XIV. Folior. 355. 4. min. multis quidem vocum compendiis, nitide tamen exaratus, et coloribus distinctus ita inscribitur, et orditur: *Incipit summa de casibus fratris* eraso nomine. *Quoniam ut ait Jeronimus Secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri — — ego remundus inter fratres ordinis predicatorum minimus &c.* Vides, quid profuerit inepto rasori cultellus, qui et ad calcem *Raymundi* nomen studiose delevit non attendens, illud occurrere mox in primis Textus lineis. Novimus *Dominicanis* et *Franciscanis* non admodum saepe convenisse; litera porro prima Codicis D. *Franciscum* quinque stigmatibus insignem exhibet, unde credibile est eum in usum cujusdam Familiae Seraphicae scriptum fuisse, nomen vero Autoris lividae aemulationis impulsu ab uno aliquo